

XXII.

The rival centurions (continued).

Transfigitur scutum Pulioni et verutum¹ in balteo² defigitur. Avertit hic casus vaginam³ et gladium educere conanti dextram moratur manum, impeditumque hostes circumsistunt. Succurrit inimicus illi Voreus et laboranti subvenit. Ad hunc se confestim a Pulione omnis multitudo convertit; illum veruto arbitrantur occisum. Gladio comminus⁴ rem gerit Voreus atque uno interfecto, reliquos paulum propellit; dum cupidius instat, in locum deiectus inferiorem concidit. Huic rursus⁵ circumvento fert subsidium Pulio, atque ambo incolumes compluribus interfectis summā cum laude sese intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione et certamine utrumque versavit,⁶ ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset, neque diiudicari⁷ posset, uter utri virtute anteferendus videretur.

¹dart. ²belt. ³this accident turns his scabbard aside. ⁴hand to hand. ⁵in turn.
⁶change. ⁷decide.

XXIII.

News conveyed to Caesar from Cicero's camp by a Gallic slave
(*Caes., Bell. Gall., V., 45*).

Quanto erat in dies gravior atque asperior oppugnatio, et maxime quod magnā parte militum confectā vulneribus res ad paucitatem defensorum pervenerat;¹ tanto crebriores litterae nuntiique ad Caesarem mittebantur; quorum pars deprehensa in conspectu nostrorum militum cum cruciatu necabatur. Erat unus intus² Nervius nomine Vertico, loco natus honesto, qui a prima obsidione ad Ciceronem perfugerat suamque ei fidem praestiterat. Hic servo spe libertatis magnisque persuadet praemiis, ut litteras ad Caesarem deferat. Has ille in iaculo illigatas effert et Gallus inter Gallos sine ulla suspitione versatus³ ad Caesarem pervenit. Ab eo de periculis Ciceronis legionisque cognoscitur.

¹the fighting now fell to a few defenders. ²in the camp. ³mingling.

XXIV.

Prompt measures for relief (Caes., Bell. Gall., V., 46).

Caesar acceptis litteris horā circiter undecimā diei statim nuntium ad M. Crassum quaestorem mittit, cuius hiberna aberant ab